



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus astanti condolens matri, comme[n]dat eam Ioanni art & hom. XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

confitentur, qui Ecclesie recipiunt sacramenta, maxima est pars, qui pœnitentia ex timore duntaxat feruili, quia inflat periculum ineuitabile, quod euadere optarent, quærentes quæcunq; sciunt remedia opportuna: quæ tamen remedia nequaquam quærerent, si abesset periculum, aut si vita adhuc longior illis certa foret. Pœniteamus igitur dum sani sumus, dum adhuc, si uellemus, delinquere possumus: ut pœnitentia nostra non sit ex necessitate, sed ex uoluntate. Quod si neglexerimus, saltem in ultimo uita, quomodo supra dixi, uerè & ex animo & corde Deo nos humiliemus. Doleamus itaq; (quicquid etiam nobiscum fiat) in primis, quod pietissimum offendimus patrem, quem nollemus posthac offendere pro toto mundo, sit nobis propositum atq; uoluntas. Hanc si gratiam in nobis senserimus, non est unde ueniam desperemus. Sed uult quisq; eiusmodi in fide & spe sua securus sit & constans, quia non damnabitur. Iuuat nihilominus eos quoq; qui sunt duri cordis, si sensibilem in se non percipiunt aut sentiunt dolorem, ut secundum rationem doleant, id est, detestentur sua peccata atq; suam malitiam. Iudicent omni se pœna dignos, doleant quod non sentiunt lachrymas, compunctionem sensibilemq; contritionis dolorem, optent huc habere, atq; in holocaustum Deo se posse per iuges lachrymas offerre. Quisquis hanc rationalem contritionem habuerit, etiam si cordis sensibilem nequeat obtinere, uel propter corporis dolores, uel propter aliam causam Deo cognitam, quam tamen ex corde libenter uellet & optaret habere, non desperet: quia Dominus illum non abiciet, sed ut pater colligit filium.

Dolorem de peccatis sensibilem non habenti quomodo sit dolendum.

*IESUS ASTANTI CONDOLENS MATRI
commendat eam Ioanni. Articulus XLVIII.*

Ioan. 19.

STabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha & Maria Magdalena. Cum uidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

HOMILIA XLVIII.

Quando Domini mater ad Domini filij sui contemplandam accesserit passionem, incertum est. Hanc tamen in spiritu nunquam creditur ignorasse, ut potè quam uel ex prophetarum lectione, quos perfectissime intelligebat, uel ex filij præuia reuelatione didicerit. Certum est autem, dum Iesus esset in cruce, illam astitisse cruci. Voluit autem illam Dominus in hac sua crucis passione secum habere, ut à dolore, à quo illam fecerat in partu immortem: & à pœna, à qua seruaturus erat illam in morte illa sam, (unde dormisse potius dicitur, quam mortua, licet non dubitetur mortua, absq; tamen pœna mortis gustata) nunc sub cruce filij, & partus dolorem & mortis pœnam gustaret. Voluit eam quoque adesse sibi, ut illam commendaret, atque custodem illi daret Ioannem. Voluit, inquam, astare sibi matrem, quo & sua passio sibi grauior ex compassione & presentia matris fieret, & nostri redemptionis copiosior esset. Voluit tandem adesse sibi in doloribus matrem, ut ex ijs quæ

Matrè suam quib. de causis Christus passioni suæ interesse uoluit.

oculis

oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur: & quod filius pateretur foris, ipsa intus pateretur, vt sic Christi passionis, redemptionis quoque nostrae fieret particeps & cooperatrix, quomodo incarnationis fuerat diuinae. Stabat igitur iuxta crucem moerore plena, lachrymis perfusa, toto corde ex doloribus filij sauciata. Videbat eum doloribus & angustijs plenum, videbat eius corpus laceratum ac sanguine rubricatum, videbat plenum vulneribus: & *Esaia 1.* nihil in eo à planta pedis vsq; ad verticem capitis sanum erat aut non vulneratum. Videbat postremò pallidum, absq; decore, & speciem hominis non habentem, deformem vt leprosum, consputum, atque vt omnium virorum nouissimum. Haec omnia dum vidit Maria, eius cor maternum per singulos aspectus intuitus vè eadem penetrarunt, vt gladius. Stabat tamen, quia decentissimis, grauisissimis, itemq; honestissimis semper vtebatur moribus, vnde quanto eunq; tabesceret dolore, nihil tamen in opere, nihil in moribus, nihil in gestu corporis aut sermone indisciplinatum, nihil immodestum inuerecundum vè aut non sanctum, doloribus maternavè pietate superata exhibuit. Non igitur vociferata fuit, non eiulauit, nò rugijt dolore, non se percussit, quomodo aliae interdum desolatae faciunt mulieres: sed virginalis disciplina, modestiaq; singularis, dolorem internum, ne turpiter erumperet foras, coërcuit. Nihilo tamen propterea minus, sed multò etiam vehementius intus dolebat, quo foris honestatis maturitatisq; causa suum non manifestabat dolorem. Stabat igitur: verum non corpore tantum, sed fide stabat etiam: perfectè enim credidit, & absque vlla tenuit hæsitatione, Christum morte nò penitus interiturum, sed tertia die sua virtute resurrecturum. Itaque cum Iesus vidisset matrem, & discipulum quem diligebat, &c. Dilexit discipulum: multò magis dilexit matrem, quia erat mater singularis, plus omnibus reliquis matribus suum vnigenitum diligens. Nulla enim creatura suum potest tam diligere creatorem, nulla suum Deum, nulla mater suum filium, quam dilexit piissima Maria suum natum. Multis enim rationibus plus alijs matribus dilexit, quia plures diligendi quam reliquæ, occasiones habuit, nam & si de amore sit naturali loquendum, cogebatur Iesum diligere maiori amoris gradu, quàm reliquæ matres suas amant proles. Erat enim hic vnigenitus, vnde in alia nò potuit consolari prole. Sed hoc (inquis) posset alteri etiam matri euenire. Ad idam igitur aliam rationem. Erat ipsius solius filius. Neque enim in terris patrem habuit Christus, sed quicquid vtriusque esset parentis, quod ad naturam pertinet humanam, ex sola accepit matre. Vnde quomodo sola genuit Maria sine viro Christum, ita sola filij, qui in patrem atq; matrem apud aliorum parentes diuisus est, tenuit amorem. Tertio dilexit ipsum Deum & creatorem suum: eòq; id vehementiori amore quo præ alijs omnibus fidelissima atque certissima illum agnouit. Quarto dilexit eum benefactorem maximum, ad eò mirabilia enim & magna ab eodem recepit, ad eò singulari dignitate, honore ac officio (vt potè Dei mater) ab eodem exaltata est, vt ipsa quoq; eiusdem beneficijs victa, in suo diceret cantico: *Beata me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, &c.* Quinto, quia se multò maximè amantem, redamauit. Natura enim hoc habet vniversa, vt amantes redamemus: atque eos qui vehementius atq; fidelius (nisi bestia, non homines simus) nos amant, fidelius amemus. Sciuit beatissima Maria, nec incompertum illi erat, præ homini-

Maria honestissimis morib. etiã sub cruce vsa fuit.

Multis rationibus filium suum Maria plus alijs matribus dilexit.

Luce 1.

*Cōpāssionis
dolor in Ma-
ria
quantus.*

*Iesus & ma-
ter eius quo-
modo mu-
tuum sibi
auxerint do-
lorem.*

*Maria vti
mater spiri-
tualis effe-
cta sit nostra
sub cruce.*

*Gladio cu-
iusmodi a-
nima Mariæ
perforata.*

*Christum
quantū ma-
tris sita do-
lor afflixerit*

minibus cunctis qui super terram erant, à Christo se amari. Non potuit igitur non præ omnibus & super omnia illum redamare. Ingratissima enim, si aliter fecisset, fuisset, quod à pijsima virgine & matre profus abest. Ceterum quomodo multum amavit, ita pro Christo etiam multum doluit. Amori enim respondet dolor: ut quantum amaueris, tantum etiam pro dilecto, si patitur, doleas. Dolor enim compassionis ex amore nascitur, & iuxta amoris magnitudinem est merendus. Itaque quanto Iesus matri fuit charior, tanto videntis eum in pœnis maximis afflictum, dolor eius quoque erat maior. Pro magnitudine enim amoris, afflictio compatiebatur. Cùm igitur (ut dixi) vidisset matrem suam sic afflictam stantem, matrem singularem, utpote non cuiuscunque hominis tantum, sed & Dei, virginitate quoque ac integritate singularem, cunctis matribus digniorem, commota sunt viscera eius super eam. Immiserat ipsa mater in cor filij amoris compassionisque sagittas, vulnerantes Iesum vsque ad mortem, rursus ab eodem filio amoris iaculo atque passionis eius gladio vulnerata ac transuerberata. Hoc itaque modo mutuum sibi augebant dolorem. Voluit enim eam Christus (ut dixi) cooperatricem nostræ redemptionis sibi astare, quam futuram nobis constituerat dare misericordiam matrem. Debebat enim pijsima Christi mater sub cruce nos parere filios adoptionis, ut quæ naturalis (hoc est, corporalis) esset mater Christi, esset adoptione atque spiritualiter omnium quoque nostra mater: ut quomodo nos Christo sumus incorporati, vnde mystica eius vocamur membra: ita Mariæ simus quoque propterea filij, non carne, sed adoptione. Christo enim pro nobis patiente, nos quotquot credimus in eum, quotquot in baptismo ei incorporamur, efficiamur eius fratres, atque cum eodem, tanquam cum capite multa membra, vnum corpus, eam ob rem quomodo caput Christus, ita nos corporis eius membra, & filij sumus Mariæ. Huius spiritualis partus ut dolores iustineret afflitit Maria mater nostra sub cruce. Hi autem dolores, quomodo partus, spirituales quoque erant. Neque enim gladio corporali, sed spirituali animam eius perforandam Simeon prædixit, quando quidem eadem quæ in corpore passus est Christus, ipsa pertulit in animo. Proinde ediuerso quoque geminum Christus tolerabat dolorem, suum videlicet & matris. Matri enim non minus compatiebatur condolenti, atque propter se lugenti, quam sibi: nec leuius illum matris torfit dolor, quam suus, vidit enim in cor eius, & singulos virginei ipsius cordis gemitus agnouit. Itaque dum virginei lachrymabantur matris oculi, cor eius gladio etiam continuo secabatur, nec cessabant suspiria & gemitus quos dabat in celum. Erat ei dolor intolerabilis, videre patientem filium, à quo tamen oculos auertere non poterat, licet lachrymarum fluxus cum esset continuus, quomodo Christum intueri posset, hoc est, quomodo eius visus non obumbraretur aut impediretur, fuerit mirum. Videbat Iesum, aspiciebat Iesum, quæ præ lachrymarum abundantia videre non poterat. Hoc modo stabat etiam & viuens plangebatur, quæ præ dolore sæpius moriebatur. Moriebatur quidem, mortis dolores aut morte crudeliores sustinens: vivebat verò per Christum sustentata, ut sustinere præualeret: quæ tamen doloribus propterea non fuit liberata, sed patiendi est roborata virtute, ut ea quæ alioqui non potuisset, iam posset sustinere. Quoties hoc verbum in eius corde repetebatur, quod Dauid pro suo filio Absalon lugendo repetiuit:

Quis

Quis det mihi, vt pro te moriar fili mi Iesu? Quis det mihi, vt fili mi Iesu pro te moriar? Inter hæc morti appropinquans Iesus, matris curam habere voluit, implereq; quod mortalibus omnibus de honorandis parentibus præceperat, comendaturus scilicet matrem suam Ioanni, cuius curam quoque matri iniunxit editerfo. *Stabat itaque iuxta crucem (vt dictum est) Maria, verè stabat, quia apostolicis viris fugientibus, omnibusq; alijs recedentibus, quando iam Iesus ad dexteram considerabat & sinistram, & non erat qui cognosceret eum, ipsa in gloriam vniuersi generis fœminei, inter tot pressuras filij, constanter cum eodem solo perseverabat. Itaque videns Iesus matrem stantem, &c. linguam habuit liberam solam & oculos Iesus, & vtrunque in obsequium atq; ministerium conuertit matris. Vidit enim eam, & collocutus est. Vidit commiserando, locutus est commendando: Ait itaque: *Mulier, ecce filius tuus.* Mulierem vocat, non nominat matrem. Parcitur enim virginis tenero amori, ne suauius loquendo, dum amicabile hoc nomen exprimeret matris, delicatum cor virginis corrumpere, puta si tam fidelem, tam amantem, tam benignum, tamq; dignissimum filium iam iamq; à se recessurum, sibi audiret imaginareturq; loquentem: *Ecce filius tuus*, ostendens nutu capitis Ioannem: atque rursus simili modo Ioannem illi commendans, siue iniungens eidem, dicendo: *Ecce mater tua.* Propter hanc commendationem vtriusq; quia virginem virginem sociavit, sub typo Ioannis nos omnes, hoc est, membra omnia corporis sui mystici, quorum ipse est caput, matri commendauit, matremq; eorundem omnium nostrum ipsam constituit.*

S. Maria vt omnium fidelium & maxime piorum curam à Christo singularem suscepit, quomodoq; eam inuocare debeamus.

IN hoc verbo haud modica nobis est consolatio, scientibus, non Ioanni tantum, sed omnibus Christi discipulis omnibusq; filijs gratiæ de Maria beatissima à Christo dictum: *Ecce mater tua.* O sancta Maria, amodò non potes negare, deprehensa es mater esse nostra. Ad te clamamus exules filij quondam Euxæ, ad te suspiramus nunc filij misericordiæ tuæ. Fac igitur quod decet matrem. Monstra te esse matrem pro nobis loquendo, nos apud patrem excusando, reconciliando nos, atque bona nobis omnia impetrando. Heu charissimi, nos quidem ad illam clamantes dicimus: Monstra te esse matrem. Sed ipsa cuius nostrum clamare potest, hoc est, respondere potest: Monstra te esse filium. Semper quidem se nobis esse matrem monstrat, nos tamen eidem non præstamus filios. Discimus hic secundò in omni periculo, in omni necessitate, hanc nostram matrem nobis inuocandam: potentissima est enim, vt pote Dei mater, nec minus misericors. Quantaunque tamen est, ex Deo tanta est, & ab eodem omnia accepit, & in eundem, hoc est, in eiusdem gloriam omnia refert. Tertiò discendum est, quam diligentem curam tam carnalium quam spiritualium debeamus habere parentum: quanto quidem Christus in extremo vitæ constitutus curam suæ matris agens, eidem custodem delegauit.

2. Reg. 18.
Exod. 20.
Deut. 5.

Psalm. 141.

Mulierē cur
matrē suam
Christus in
cruce appel-
lauit.

Mariam in
omni peri-
culo ac ne-
cessitate
inuocandā
esse.
Parentum
quanta cura
habenda sit.